



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Loquacitas quàm sit virginibus exitialis. Can. XXVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

foris dealbatum, intus autem spurcitia plenum? Talis siquidem ornatus, neminem virtuosum, sed multos vitiosos reddit. Ergo o fidelis anima hanc fuge pompam & preciosorum ornamentorum curiositatem pro viribus, & sequere potius simplicitatem, modestiam, verecundiam, pudicitiam, & id genus virtutes, quæ virginittatis gloriam maximè adaugent, & te mihi cœlesti sponso tuo non parum commendabilem ac amabilem reddunt.

*Gula quantopere virginibus fugienda.*

CANON XVI.

**T**ertio, deuitabis omnem voracitatem ac gulam: quando nūquam poterit ad decorem pudicitie pertinere, nec virginittatis candorem seruare quisquis voracitati aut gulæ frena laxauerit, neque ardentem poterit concupiscentiæ stimulos inhibere, quisquis desideria gulæ arctare noluerit. Nam incommoda gulæ & peccata quæ ex ea originem trahunt, quis lingua exprimet?

Gulæ iacē-  
moda quæ-  
nam sūt.

Ipsam vimirum humani intellectus capacitatem transcendunt. Ne tamen ex ignorantia in aliqua horum incidas, breuitatis gratia quædam referam. Ipsa est fomes libidinis, radix criminum, turbatio capitis, subuersio sensus, linguæ tempestas, procella corporis, naufragium castitatis, infania volūtaria, ignominiosus lāguor, turpitude morum, dedecus vitæ, honestatis infamia, animæ corruptela. Ipsa confundit naturam auerit gratiam, perdit gloriam, & incurrit damnationem æternam. De quibus omnibus tam in nouo, quam in veteri Testamento habemus exempla. In nouo, de diuite epulone. In veteri de populo Israhelico. *Sedit enim populus manducare & bibere, & postea surrexerunt ludere.* Propterea per memetipsum rogo ac obsecro te dilecta sponsa mea, vt execreris pestiferum hoc peccati genus, nec immisceas te his, qui adeo facile huic succumbit vitio, ac si nulla inde imminerent pericula, sed sobrietatem, vt potest magnam virginittatis amicam, castitatisque custodem peruiilem sectare & amplexare, per quam haud dubie recta ad me perduceris, nec aberrare poteris, hac te dirigente & ducente.

Luci 14.

Exod 35  
1. Cor. 10

Quia sobrietas est mentis & sensus, membrorumque omnium corporis protectio, castitatis tutela, pudicitie proxima, & orationis singulare præsidium. Et sicut humana mens per cibi & potus superfluum vsum hebetatur & deprimitur, ne ad arcem diuinæ contemplationis valeat conscendere, sic per sobrietatem & temperatiam eleuatur & rapitur ad contemplanda cœlestia, & despicienda hæc terrena caducaque omnia, per quæ misera caro fouetur sæpèq; contra spiritum inflammatur.

Sobrietatis  
encomium  
haud fallax.

*Loquacitas quam sit virginibus exitialis.*

CANON XVII.

**Q**uarto, prohibeo tibi omnem loquacitatem, quæ minime decet virginem. Nam multi loquacitatis vitio obnoxij, maxima sibi ipsi damna inferunt, a hostibus sapenūmero in magnas secum pertrahunt perplexitates, multisq; inperceptibilibus etiam inuolunt atque implicant nodis & scrupulis: à qua si quis sibi caueret, & linguæ suæ frena iniiceret, non dubium quin à multis periculis animam

Aaaa

suam

Garrulitas  
quantū Deo  
displiceat.  
Iacob 3.

Lingua pec-  
catis mala  
quæ.

Lucæ 6

Taciturni-  
tas vt sit vir-  
ginitatis  
decus.

Silentium quæ  
bona præ-  
ret.

suam custodiret. Sed doleo, & quidem vehementissime, tam multos huic subiacere vicio, etiam inter electos meos, qui merito deberent verbo & exemplo aliorum garrulitatem corrigere: at illi sunt in transgressione primi, ac sapius minus ducit hoc vitium, quam alij, essetq; illis pernecessarium verba B. Apostoli mei Iacobi attendere, quæ contra linguæ incontinentiam protulit. *Lingua, inquit, ignis est, vniuersitas iniquitatis.* Ecce quantus ignis, quam magnam sylvam incendit. O inquietum malum, ac plenum veneno mortifero. O multarum iniquitatum seminarium atq; origo. Ex te quasi ex fonte, multorum peccatorum promanant riuuli, scilicet iuramentum, periurium, blasphemix, maledictio, proximi detractio, adulatio, mendacium, infamatio, veritatis agnitæ impugatio, discordiæ seminatio, falsum testimonium, turpiloquia, peccatorum defensio, lenocinia & huiusmodi, quas enumerare singulatim longum esset. Ipsa præterea lingua cordis index est: & qualis sermo profertur, talis plerumque esse animus comprobatur: quia *ex abundantia cordis os loquitur.*

Nunc ergo prædilecta filia ac sponsa mea ad te reuertor: volens te hisce meis sermonibus ab omni garrulitate deterrere, ac quanta possum diligentia taciturnitatem tibi commendare, per quam gratiam à me tibi collatam, faciliter conseruare poteris. Estque illa, vt nec hoc silentio, præteream, maximum virginittatis ornamentum, & pudicitix comes indiuidua, per quam multi mihi placuerunt, & infinitos penè diaboli euaserunt laqueos, seseque à multis præferuarunt peccatis: hocq; saltem in hunc finem, vt casto corpore, ac mundo corde mihi seruire possent. O si scires quæ tam in silentio amici mei in conscientia lætitiâ experiuntur, citius scio linguam præcinderes, quam loquacitati vacares.

*Temporis presentis quanta habenda sit ratio virginibus cunctis.*

## CANON XVIII.

Ecclesiæ 9

Ocium quæ  
sit noxium.

Ociositas  
quæ nam  
mala ge-  
neret.  
Ociositas  
quinam vi-  
teatur.

Quinto cum districta hominibus sit reddenda ratio de tempore illis à misericorditer indulto, magna tibi adhibenda est cautio, ne hoc tempus præsens inaniter ac sine fructu prætereire permittas. Nam quod iam homines modico labore obtinere possent, post modicum, ne lachrymis quidem sanguineis obtinebunt. Ergo *quodcumque potes manus tua, nisi ante operare, & noli locum dare diabolo, qui mille laqueos & rethnas struit pigris ac desidijs.* Et quid id mirum? Nonit nãque callidissimus hostis impossibile esse, quod mens humana possit diu subsistere, si ocio vacet, aut minus pie honeste occupata sit: ideo omnes nocendi artes excogitat, si quomodo cuiusmodi ocio imponat, illumq; à via veritatis abducant. Scit præterea quam nocuum sit amicis meis ocium, quanque multi ac penè innumeri per hoc in peccata grauia ceciderint, quemadmodum & vulgo dici solet. Ociã dant vitia: ideo hoc suadet illis, vt scilicet sibi parcant, nec supra vires se grauent, parulitum ociantur & hisce similia, quibus eos dolose irretire nititur. Postremo ipsa ociositas mater est concupiscentiarum: ac nouerca virtutum.

Ipsa est quæ virum pudicum fortissime præcipitat in omnem reatum lasciuie: facit suffocare virtutem, nutrire libidinem, & construere ad gehennam. Posset autem hic querere qua ratione tibi sit ocium fugiendum. Breuiter respondeo: nulla id posse facilius via declinari, quam memoria mortis & extremi iudicij recordatione.